AD LECTOREM.

Diſcitis hinc certas medicandi ſaucia leges,
Integra quoue modo ſit retinenda ſalus.
Præſtitit hoc artis medica tibi Curio Doctor,
Curio Apollinei gloria magna chori.
Extendi vitam qui longum vultis in æuum,
Curio Tithonus, dicite, viue diu.

ODEM. LVDOVICI HELMBOLDI MVLhuſini.

NVlla vis virtusq; manet perennis,
Rebus his, quæ viribus extruuntur
Corporis: quæ mens operatur omni
Tempore durant.
Nunc ager, vel ſylua, vel eſt rubetum,
Quod fuit quondam Phrygii aula Regis,
Arx fit econtra modo Carolea,
Quod ſeges olim.
Firma ſunt, fidemq; ſibi tuentur
Nomen & famam documenta, quorum
Autor eſt Phœbus ſine honore nunquam
Commemorandus.
Vtilis res eſt medicina, totum
Suſtinet mundum: niſi ſalua namque
Membra ſint, præceps domui vniuerſæ
Turbo minatur,
Claret idcirco Podaliriana

Fama,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30710-p0020-8
DFG

AD LECTOREM.

Fama, nec laus Hippocratis remittit,
Æmulus fertur volucrum per alta
Aſtra Galenus.
Hos duces, hos ſigniferos ſecutus
Curio excellit ſimul, & referri
Inter heroas medicos profunda
Mente meretur.
Mentis hic index liber eſt amomum
Plantat, extirpat tribulos, venena
Enecat, morbos fugat atque ſanos
Protegit artus.
Sanitas cura ſua ſit cuiuis,
Huic viam monſtrans igitur tuendæ,
Gratiis omnem comitatus ibit
Curio in orbem.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-30710-p0021-4